



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola X. Martini Papae I. Ad Petrvm Illvstrem Virvm. Commendatur eius  
vitae integritas, hortaturque vt vicario suo faueat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

nodum confirmata ad commendationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, quæ breui nota omnibus faciemus, ea mittentes; firmiter, in uiolabiliterque permaneant. Nam hæc vos nobiscum pie seruantes, Dominique fidem bono zelo afferentes, res vestras feliciter geretis, ac promissa cælesti hereditate tandem dignabimini.

## EPISTOLA X.

## MARTINI PAPÆ I.

AD PETRVM ILLVSTREM VIRVM.

Commendatur eius vita integritas, hortaturque  
vt vicario suo faueat.

*Petro illustri Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius catholicæ  
& apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.*

CVM in timore Domini, & caritatis dilectione vestram Christi amantem nobilitatem irreprehensibiliter ambulare a multis fide dignis personis didicissimus, merito ex toto corde ipsum Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum glorificauimus: nihil enim æque ad eum collaudandum omnes commouere solet, quam integra vita virtutibus præfulgens: ex quibus in imagine pertransiens homo similitudinem conditoris sui exhibet, se ab irrationali separans. quandoquidem hanc nobis transgressio superinduxit, illam vero dilapsam in nobis rursum gratia reformatuavit, obseruatione mandatorum hominem secundum Deum formans, & eum efficiens sancti Spiritus templum: quod te, sordidarum depositione passionum, sapienter te ipsum constitueristi, dilecte, ac merito ea sola cogitas, quæ sunt Iesu Christi, ad perfectam salutem festinans, quam tibi ardenter desideranti nos quoque conciliantes hortamus, vt intentiore studio vires tuas conferas Dei amantisimo episcopo Philadelphenium ciuitatis: quoniam eum vice nostra Deo iuuante fungi canonice iussimus, vt catholicas in illis partibus ecclesiæ decéter ordinet, in iis omnibus episcopos, & presbyteros, & diaconos creans, permitta ei a Domino per nos minimos, siue per auctoritatem sancti & principis apostolorum Petri, spirituali potestate: ne viduati in tam multis temporibus, talique afflictionis pressura, populi in terram squallidam & infrugiferam ver-

tantur: sed vt magis augeantur ac splendescant, instantia diligentiaque sacerdotum, qui vt constituantur, adiuuans vestra Christi amans claritudo per præfatum dilectum nostrum coepiscopum, propriæ matris, nempe catholicæ ecclesiæ viscera reficiet, ad salutem eius filiorum suum Domino studium ipsis operibus exhibens, a quo iuste in illo tribunal audies coram cælestibus angelis & omni sanctorum choro: *Euge serue bone, super pauca fuiſti fideliſ, super multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25.

## E P I S T O L A XI.

## M A R T I N I P A P Æ I.

A D E C C L E S I A M H I E R O S O L Y M I T A N A M

E T A N T I O C H E N A M.

Nuntiat Monothelitarum hæresim in Concilio fuisse damnatam, ordinationemque Macedonii Antiochiæ, & Petri Alexandriæ perperam esse factam: Vt in fide catholica persistant, & Ioanni vicario, cui dictæ Synodi acta misit, obedient.

*Dilectis fratribus, qui sanctæ Christi Dei nostri ciuitati, nempe Hierosolymitanæ sedi sacerdotaliter subsunt, orthodoxis episcopis, presbyteris, diaconis, præfectis monasteriorum, monachis ascetis, populis Christum diligentibus: similiter & iis qui censentur sub Antiochenæ sede, Martinus seruus seruorum Dei, & sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.*

**G**RATIA vobis & pax a Deo Patre nostro & domino Iesu Pl. 1.  
Christo in Spiritu sancto, qui per virtutes habitat in cordibus vestris. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in euangelio Christi, ut caritatem magis abundetis in scientia & omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiae in gloriam & laudem eius. Scire enim vos volo, fratres, de rebus presentibus, id est, de furibus, qui temporibus nostris insurrexerunt contra orthodoxam fidem, nempe Theodoro, qui fuit episcopus Pharan, & Cyro qui Alexandriæ, & Sergio qui Constantinopolis, & eius successoribus Pyrrho & Paulo: quod hi per propriam hæresim valde moliti sunt perfodere, & thesauros siue dogmata